

va. Et patet in substantia, quæ est visibilis per accidens, et ex diversitate illius non sumitur diversitas specifica actuum videndi, sed ex diversa specie colorum. Antecedens autem probatur, quia circa diversa media, aut ex diverso modo tendendi in illa, diversi actus specie resultant in voluntate, sicut actus electionis, consensus, usus, etc. Et similiter dantur electiones specie diversæ, sicut diversi actus virtutum; virtutes enim morales quæ electiones sunt, et versantur circa media, proceduntque ab habitu electivo, qui est virtus. Et idem patet exemplo intellectus, quo conclusiones se habent sicut media in voluntate: sed conclusiones sunt objectum per se intellectus, et per se specificant actus illius, ut patet in diversis scientiis, quæ versantur circa conclusiones, non circa principia; ergo idem faciunt media in voluntate.

XXXI. Confirmatur, quia non magis analogice participant bonitatem media et finis, quam Deus et creaturæ; et hoc non obstante creaturæ habent bonitatem per se, et univoce appetibilem cum appetibilitate Dei, et non solum relate ad Deum, et ex subordinatione ad ipsum, sed etiam absolute, imo et contra Deum appeti possunt: ergo etiam media habere possunt bonitatem in se formaliter appetibilem, et non solum ex subordinatione ad finem, et dependenter ab ipso.

XXXII. Respondetur probare argumentum in mediis esse bonitatem intrinsecam, licet relatam, et dependentem a fine, et ideo ex diversa specie mediolorum sumi potest diversitas actuum in voluntate, licet cum ordine ad finem, ut ad rationem formalem diversimode modificatam in ipsis mediis: sicut ex diversa specie colorum sumitur diversa visio, licet omnes subsint eidem rationi formali lucis, quæ est

ultima ratio sub qua visibilitatis, quæ tamen in quolibet colore ita modificatur et diversimode proportionatur, ut resultet diversus actus visionis. Unde concedimus, quod media non se habent ut objectum per accidens voluntatis, sicut substantia respectu visus; nec omnino se habent ut color, quantum ad hoc quod sint univoce bona cum fine, sicut color cum luce (ut jam supra explicatum est) sed in aliquo conveniunt cum colore, in aliquo cum visibili per accidens. Conveniunt cum colore in hoc, quod bonitas mediolorum est aliquid intrinsecum in illis, et in illis ipsa bonitas finis habet dare quasi ultimam rationem formalem sub qua, sicut lux coloribus, et juxta diversas modificationes, et applicationes finis ad media fiunt diversa objecta actuum voluntatis. Conveniunt autem objecto, seu visibili per accidens, quale est substantia, quantum ad hoc, quod illa bonitas non est per se, et absolute talis, sed dependenter, et relate ad finem, et quasi via ad ipsum, et deferens ipsum, sicut substantia defert, et portat colorem; et ita acquisito, et habito fine, cessat volitio mediolorum.

XXXIII. Quod vero dicitur univoce habere bonitatem ipsa media, quia univoce sunt objectum voluntatis, respondetur quod bene possunt univoce convenire in ratione movendi, et terminandi objective ipsos actus, licet analogice conveniant in ratione essendi, et participandi in se bonitatem, sicut accidens, et substantia sunt analogice entia, et univoce objecta unius potentiae, scilicet intellectus, et unius habitus, scilicet metaphysicæ. Similiter concedimus exemplum conclusionis respectu intellectus, et de mediis respectu voluntatis quantum ad hoc, quod est specificare, et objective terminare diversos actus

specie, ut explicatum est, cum dependentia tamen, et ordine ad finem et ad principia.

XXXIV. Instabis: Ergo sicut omnes colores sub una specifica ratione lucis continentur, ita omnia media eandem specificam rationem actus terminabunt, quia sub uno fine, et omnes conclusiones eundem actum, quia sub uno principio continentur. Negatur consequentia, quia licet omnes colores, quia sub eadem luce sunt, eandem specificationem potentiae respiciant, non tamen eandem specificationem actus, et visionis, quia diversi actus sunt circa unum colorem, et alium sub diversa lucis modificatione. Sic diversa media ad eandem specificationem potentiae voluntatis reducuntur, sed diversam speciem actionis, et habitus retinent sub diversa modificatione, et respectu finis.

XXXV. Ad confirmationem respondetur esse disparem rationem inter bonitatem divinam, et creatam ex una parte, et bonitatem finis, et mediolorum ex alia: quia bonitas divina non solum communicat creaturis bonitatem utilem, qualis est in mediis, sed etiam honestam, et delectabilem, qualis est in fine, et talis bonitas est per se appetibilis. Unde licet talis bonitas comparata ad divinam sit analogica, et secundum quid in essendo, tamen in movendo, et alliciendo est bonitas appetibilis per se, et non ratione alterius tantum, licet illud per se, et in se bonum participatum a Deo, et in essendo semper se habeat analogice respectu divinæ bonitatis: sicut substantia creata est ens per se, licet analogice cum Deo a quo participatur. At vero bonitas mediolorum ut talium, comparatur ad finem, non ut bonitas per se, ratione sui etiam participata, sed ut bonitas relate se habens, et præcise

appetibilis ratione alterius, et per modum viæ, et tendentiæ ad illud, quod per se appetitur, licet hæc relatio, et ordinatio, et via non per extrinsecam denominationem, sed intrinsece conveniat mediis. Unde non sequitur, quod per se appeti possit sicut finis.

ARTICULUS III.

Quomodo finis, et media possint appeti eodem actu, vel diverso?

I. Ex præcedentis difficultatis resolutione deducitur explicatio ejus, quod docet D. Thomas in hac questione VII, articulo III, scilicet quando finis et media possint eodem actu appeti, vel diversis, quod non eodem modo explicant auctores. Quidam enim existimant semper esse diversum actum, quo voluntas attingit finem, et media, non solum loquendo de simplici voluntate finis in qua nullo modo attinguntur media, etiam in obliquo, sed etiam loquendo de actu intentionis, in quo jam habetur aliquo modo ordo ad media in ipso amore finis, scilicet ut assequendi per illa. Alii volunt esse semper eundem actum, sicut visus eundem actu videt colorem, et lucem, quia lux est ratio videndi colorem; media autem omnem rationem appetibilis habent a fine; debent ergo eodem actu attingi. Alii denique sentiunt posse voluntatem aliquando unico actu tendere in finem, et media; aliquando diversis.

II. Nos autem tribus propositionibus rem hanc dissolvimus. Prima est; Actus qui respicit finem sine ullo ordine ad media, sed secundum se tantum, ut simplex volitio, omnino est diversus actus ab eo, qui respicit media ut objectum, et tamquam rem attactam. Hæc est cer-

ta, quia talis actus simplex nullatenus attingit media, etiam virtualiter, et ut contenta in fine, quia simplex volitio non attendit ad assecutionem finis, media autem solum sunt appetibilia in ordine ad assequendum finem; ergo in illa volitione, quæ assecutionem finis non attendit, non attinguntur media, sed solum attingitur bonitas finis secundum se; ergo ut attingantur media, opus est distincto actu præter illam simplicem volitionem. Unde ideo simplex volitio dicitur, quia non duplicat objectum, sed sola attingentia finis contenta est. Actus vero, qui præter finem habent respectum saltem de connotato, et in obliquo ad aliud objectum, scilicet ad media, jam non manent intra limites simplicis volitionis, sed duplicant objectum, seu rem, quam attingunt, saltem in obliquo, licet sub una ratione formali.

III. Secundo propositio: Si tam finis, quam media se habeant ut objectum quod, et per modum rei volitæ terminative, diversis actibus attingi debent, etiamsi in tali objecto attactu reluceat aliquis ordo ad finem, vel media saltem de connotato, et in obliquo. Ratio est, quia licet objecta aliquando inter se habeant connexionem, et ordinem, ita quod unum deducatur ex alio, tamen si quodlibet eorum attingitur ut quod, diverso actu attingitur, quia tunc etiam unus actus infertur, et deducitur ex alio, et non solum unum objectum ex alio: ubi autem unus actus est deductus ex alio, plures actus sunt. Hoc autem evidenter apparet in principiis, et conclusionibus, quæ sunt objecta inter se connexa, conclusiones enim cum principiis connectuntur, et coordinantur, et per consequentiam ex eis deducuntur. Quando autem principia attinguntur ut objectum quod, et ut veritates cognitæ, et ex eis sic co-

gnitis deducuntur conclusiones, diversis actibus attinguntur, quia ex actu, et assensu principiorum infertur actus essentis conclusionibus, tamquam actus ex actu, et sic diversi actus sunt, unus scientificus, et discursivus circa conclusiones; alter ex terminis notus, et evidens circa principia; unde etiam diversi habitus generantur, scilicet, habitus scientiæ circa conclusiones, habitus principiorum circa principia. Eodem ergo modo voluntas, quæ omnino correspondet, et conformatur in modo procedendi intellectui, a quo dirigitur, diversis actibus fertur in finem, et in media quando utrumque consideratur ut objectum quod, et terminative, licet unus actus inferatur ex alio, et in uno detur connotatio, et ordo aliquis ad aliud: si enim infert illum et iste infertur ex illo, clarum est, quod debent esse diversi, et in uno debet dari respectus, seu connotatio ad aliud, et e contra sicut inter causam et effectum, inferens et illatum: et tamen ob eandem rationem diversi actus esse debent, quia non est causalitas, et illatio nisi circa diversa. Et hac ratione actus intentionis, qui est circa finem, et electionis, qui est circa media directe, et ut quod attacta, diversi actus sunt, et diversos habitus generant, sicut sunt virtutes morales, quæ versantur circa electiones mediæ, virtus enim est habitus recte electivus, et distinguuntur ab his, quæ versantur erga fines, sicut etiam in supernaturalibus videmus, quod charitas, quæ est circa finem distinguitur a virtutibus moralibus, quæ sunt circa media.

IV. Dixi autem hoc accidere, quando finis et medium attinguntur ut quod per modum objecti terminativi, et rei volitæ, quia licet distinctio actuum sumatur a ratione formali motiva, tamen cum in eodem

actu concurrat, et objectum materiale volitum tamquam res terminans, et ratio formalis motiva volendi illam, non sumitur distinctio actuum ex ratione formali motiva comparatione ad suum materiale objectum, quia potius ista duo, scilicet, materiale et formale objectum pro eodem actu concurrunt. Unde si finis se habet ut ratio formalis motiva volendi, et medium ut res terminative et materialiter volita, non possunt ex hoc capite distingui actus. Oportet ergo quod ut distinguantur actus circa finem et circa media, finis exuat munus rationis formalis motivæ respectu mediæ, et se habeat ut res volita, atque adeo ut objectum quod, sub distincto motivo attactum, et deinde medium se habeat etiam ut objectum quod suo motivo attactum, non autem unum se habeat ut ratio formalis alterius, hoc enim præcise non extrahit finem ab attingentia per eundem actum, quo media, quia in eodem actu ratio formalis attingendi, et res attacta ut materiale objectum stare possunt, et debent, quod si de uno actu movetur quis ad aliud, ut de intentione ad electionem, de principiis ad conclusiones, diversis actibus id sit. Unde sequitur quod in Angelis, qui non procedunt discursu, sed comprehensione circa principia et conclusiones, circa causas et effectus, et unico actu totum illud comprehendunt, non autem movendo se de uno actu ad aliud, similiter eodem actu attingunt finem et media, etiam ut quod sub unica ratione formali bonitatis finis, non solum ut ratione sui amabilis, sed etiam ut est ratio aliorum, totum hoc enim sub una altiori ratione Angelus attingit, sicut sub unica ratione principia in se, et conclusiones in principiis attingit, quia illud lumen principiorum in Angelo, cum comprehen-

sivum sit, ex sua propria, et formali ratione comprehendendi ita petit penetrare principia, quod se extendit ad conclusiones, et non sistit in principiis, nec ex uno actu deducitur ad aliud.

V. Tertia propositio: Si finis, et media considerentur secundum quod unum se habet ut ratio formalis alterius, vel unum consideratur relative ad aliud, possunt eodem actu attingi, sive utrumque expresse, et formaliter consideretur, sive alterum virtualiter tantum, et implicite, alterum explicite. Ratio est, quia non repugnat intellectui plura ordinate se habentia, per modum unius et per unicum actum attingere, si sub eodem respectu, et ratione formali ordinentur: imo etiam visus externus id potest, ut cum in eodem corpore plures colores aspiciamus, aut in eodem medio plura corpora; ergo nec id repugnabit voluntati, si talia objecta ordinate disponantur, et unum se habeat ut ratio formalis, alterum ut res volita, sicut lux et colores eodem actu videntur. Sed quando finis, et media ita conjunguntur, quod finis se habet ut ratio volendi, seu motivum, et medium ut res volita, vel quando unum consideratur ut relative se habens ad aliud, utrumque se habet ordinate, et connexe, seu subordinate, quia unum ut ratio formalis, vel ut terminus alterius; ergo unico actu possunt sic attingi, sicut qui attingit patrem sub respectu patris, eodem actu intelligit filium, ut terminum talis respectus, quia si attingitur relatio, hoc ipso attingitur, ut terminata; alias sub exercitio relationis non intelligeretur. Et ita in connotato, seu obliquo terminus attingitur.

VI. Nec obstat responsio patris Vazquez, quod quando duo ita ordinantur ad invicem, quod unum non habet in se unde terminet actionem,

nisi ratione alterius, tunc non attingitur unum sine altero; secus vero est si unum habeat in se unde terminet actionem; sicut media habent suam bonitatem ratione cuius terminare possunt distinctum actum a volitione finis. Non, inquam, obstat; tum, quia (ut supra diximus) licet media habeant in se intrinsece bonitatem, tamen habent illam ita relatam, et dependentem a fine, ut sine ipso tamquam sine ratione formali non possint appeti, nec attingi, sicut nec aliquid relativum sine suo termino. Tum etiam, quia licet aliquid habeat in se unde appetatur, tamen si consideretur ut subordinatum alteri tamquam rationi formali, aut tamquam importans illud in connotato, et in aliquo, tunc non est necesse multiplicare actus stando sub illa formalitate, quia objectum attactum non præscindit a sua ratione formali, nec a suis connotatis, et accidentibus quibus vestitur: in homine albo, simul homo, et albedo cognoscitur, licet albedo seorsim sumpta habeat unde intelligatur distincto actu; et homo in communi abstractus distincto actu cognoscitur ab individuis; homo autem contactus simul cum individuatione videtur, sicut lux cum colore, aut duo colores in eadem re; et tamen potest lux seorsim sine colore videri, aut unus color sine alio: ergo falsum est quod dicit Vazquez, quod quando aliquid potest secundum se terminare actionem, non potest attingi eodem actu cum alio, si quidem potest hoc subordinari illi, aut conjungi, et sub illa ratione unico actu attingi. Denique expresse S. Thomas nostram conclusionem affirmat in hac quæstione VIII, art. III, dum inquit: « Quod finis ut est ratio volendi medium, eodem actu appetitur, quo medium. »

VII. Quod vero possint finis, et medium eodem actu attingi sive

formaliter et explicite, sive implicite et virtualiter alterum attingatur patet, quia potest attingi medium expresse advertendo respectum ejus ad finem; potest etiam attingi non advertendo, ut si quis pergit in talem locum ad exercendam mercaturam, non est necesse, quod in singulis passibus, vel actionibus itineris cogitet actu de illo fine, licet possit etiam cogitare, et utroque modo attingit finem, et media, quia unum attingit materialiter, et aliud ut rationem formalem; sicut visus potest attingere colorem, et lucem simul, utrumque discernendo in particulari, et potest etiam alterum in confuso attingere, ut quando videt a longe nec bene discernit colorem, et totum hoc unico actu attingit. Certum tamen est, quod quotiescumque medium sub ratione medii attingitur, vel finis ut assequendus, oportet virtualiter saltem, et implicite unum attingere in alio, quia ibi attingitur ordo unius ad alterum, ergo attingi debet finis ut terminus istius medii, et ita saltem in connotato, et obliquo attingitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Ex his autem propositionibus sic explicatis, et distinctis solvi possunt omnia argumenta, et fundamenta opposita. Nam illa, quæ probant debere esse distinctos actus, qui circa finem, et qui circa media versantur, procedunt de fine, et mediis consideratis ut objecta terminativa, et ut quod respectu actus intentionis, et electionis. Quæ vero probant esse unum, et eundem actum, procedunt de mediis, ut virtualiter includunt finem tamquam rationem formalem, et de fine ut connotat media respiciendo illa.

IX. Adhuc tamen objicies. Primo, quia D. Thomas infra quæstione XII,

articulo quarto solum dicit: « Actum quo volumus media, et finem esse unum in subjecto, sicut in eodem spatio, et via fiunt diversi motus; » non tamen dicit, quod est unus motus entitative, et numerice unus. Et solutione ad tertium dicit: « Quod motus, qui est unus subjecto potest ratione differre secundum principium, et finem, sicut ascensio, et descensio, » et sic dicit, quod motus, qui est ad media vocatur electio, et qui est ad finem intentio. Ubi clare ponit D. Thomas, quod intentio, et electio solum ratione differunt, non entitative ut nos ponimus, cum isti actus attingant finem, et media tamquam objecta terminativa, et ut quod, sed dicit D. Thomas quod se habent sicut motus in eodem spatio. Similiter in hac quæstione VIII, articulo tertio, in principio corporis docet: « Quod licet voluntas possit ferri in finem in quantum hujusmodi, sine hoc quod feratur in ea quæ sunt ad finem, tamen in media non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem; » ergo nunquam dabitur actus circa media distinctus ab eo, qui est circa finem, quod est contra id quod diximus in secunda propositione.

X. Respondetur sensum D. Thomæ in illo priori loco esse, quod motus in finem, et in media aliquando est unus, aliquando diversus. Et tunc est diversus simpliciter, quando fertur in utrumque absolute, et non secundum comparisonem unius ad aliud, quia quod in motibus physicis est spatium, seu via super quam fit motus, id in voluntate est ordo, seu comparatio unius ad aliud, hæc enim est tendentia, et tendentia est sicut via et spatium. Et tunc dicitur esse motus unus spatio, seu via, aut subjecto, quando eadem comparatione, seu ordine comprehenduntur. Hoc ergo requiritur ut motus sit unus, et non sim-

pliciter diversus. An vero possit talis motus, qui est unus subjecto, etiam entitative esse unus, D. Thomas in illo loco non tractavit, nec negavit; de hoc enim egerat in hac quæstione VIII, art. III, ubi simpliciter docuerat posse esse unum, et eundem actum in finem, et in media. Cum vero addit solutione ad tertium, quod motus subjecto unus, scilicet in eodem spatio potest ratione differre, sicut ascensio et descensio, ly ratione est idem quod specie, et consequenter non sunt idem motus continuus ascensus et descensus, licet sint in eodem spatio. Et sic etiam electio, et intentio sunt actus diversi, quia respiciunt finem et media ut res volitas, et ut objectum quod. Itaque id quod de connotato, et in obliquo se habet in uno, directe se habet in alio, et e converso, licet cum hac differentia, quod in fine ut assequibili per media non se habet medium ut ratio formalis, sed ut effectus finis, seu aliquid derivatum a fine. In medio autem ut appetibili propter finem, finis se habet ut ratio formalis causans appetibilitatem in mediis, quia ejus gratia medium appetitur. Finis autem quando intenditur ut assequendus per media, habent se media ut effectus, et consequenter ut quid connotatum.

XI. Ad id quod affertur ex ista quæstione VIII, art. III, respondetur quod in finem potest aliquis ferri sine ullo ordine ad media, ut in simplici volitione finis. Et hoc ideo, quia bonitas finis nullatenus est ex mediis, sed in se, et secundum se bonus est, et habet unde placeat, et appetatur. At vero in media in quantum talia non potest aliquis ferri, etiamsi respiciat media directe, et ut objectum quod, nisi habendo ordinem in finem, vel virtualiter, vel formaliter, quia media dependent a fine, et participant ab